



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque
obeundi**

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

Hora V. Praxis Orandi ad horæ sonum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

H O R A V.

P R A X I S

Orandi ad horæ sonum.

Ave Maria &c. O Deus (*) propitius
esto mihi peccatori! (*) *reflecte ad peccata
commiffa.*)

Omnipotens faustam donet mor-
talibus horam. Et fidelium animæ, pe-
mifericordiam Dei requiescant in pace

Renova affectum examinis particularis

*Perfectionis studiosior addere poterit se-
quentia qua omnes necessarios affectus ad
Deum & divina comprehendunt.*

1. Benedicamus Patrem & Filium cum
Sancto Spiritu, laudemus & superexalte-
mus eum in secula.

2. Expurga nos omnipotens & mise-
ricors Deus ab omnibus culpis, pœnis, &
peccatorum reliquiis.

3. Convertite quàm plurimos à vita im-
pia ad piam & à pia ad apicem perfe-
ctionis.

4. Fac nos, mi Deus, vivere & mori
amissim perfectissimæ sanctitatis.

5. Ad laudem & gloriam tuam diri-

gantur

gantur omnia nostra verba, cogitationes
& opera, in odorem suavitatis.

6. Agnus tibi gratias misericors Deus
pro omnibus beneficiis tuis manifestis &
occultis.

7. Domine miserere omnibus preces
meas desiderantibus præsertim amicis &
inimicis.

8. Omnes Sancti & Sanctæ intercedite
pro nobis.

9. Adjuva nos, omnipotens Deus, in
omnibus necessitatibus animæ & corporis.

10. Et benedictio tua ✠ sit super nos
semper, præsertim in hora mortis.

*Hoc dicendo crucis signum exprime
cum tenero affectu & reverentiâ erga cru-
cem Christi, & fiduciâ erga liberalitatem
divinam, quæ ob merita Christi Crucifixi
omnia nobis gratia dona largitur.*

*Hæc prima specie videntur multa, sed
qui contraxit habitum, & bene memoria
mandavit, celerrimè sine jactura temporis
expedire potest, præsertim si sit solus.*

*Quando perfectus eris addes etiam ex-
emplo S. Ignatii & S. Borromæi brevissimum
conscientiæ examen de hora traducta.*

D 5

PSAL-

Non clamor sed amor regnat in aure Dei



Hens. Caugh. sculp.

septies in die laudem dixi tibi, psal: no.

PSAL

P S

D

E

legit
 ter,
 ction
 totu
 pens
 stico
 que
 impe
 tes, v
 mun
 nece
 prec
 cerd
 tis p
 non

PSALTERIUM ECCLE-
SIASTICUM

In Horas Canonicas distinctum.

§. I.

De obligatione Sacerdotum ad
pensum Horarum.

Etsi hominibus omnibus debitum incum-
bit Deum religiosis obsequiis colendi, se-
legit tamen Deus ex his nonnullos speciali-
ter, & per Ecclesiam ad sacram hanc fun-
ctionem stabiliter obeundam deputavit; ut
totius Ecclesie nomine & vice, horarium
pensum velut debitum à toto corpore my-
stico tributum persolverent, & bona donâ-
que cœlestia Reipublicæ Christianæ ab eo
impetrarent. Duplex enim munus Sacerdo-
tes, vi Ordinis, ab Ecclesia obtinent, pri-
mum sacrificandi, alterum pro Ecclesie
necessitatibus per officium Divinum de-
precandi: atque hinc oritur, ut licet Sa-
cerdos sit in peccato, & ex propriis meri-
tis preces ejus pro illo statu impetratorie
non sint; oratio tamen ejus, ut est à publico

D 6.

Mini-

Ministro, habens adjunctas preces & merita Ecclesie, est apud Deum impetratoria, quia nititur meritis & sanctitate Ecclesie, ad quam Deus respicit. Ideoque Sacerdoti non legitime impedito, absque gratia peccato non licet horas, aut notabilem earum partem intermittere.

§. II,

De tempore Horarum.

Propheta Regius, licet regni totius negotiis distentus, septies tamen in die laudem dixit Domino Psalm. 128. Trium pueri cum Daniele in precibus celebranda observarunt horam tertiam, sextam & nonam: sed Ecclesia (ut docet S. Cyprianus sub finem orat. Domin.) pluribus à Deo beneficiis exornata quam olim Synagoga septem orandi tempora servanda statuit. S. Clemens L. 8. Constitut. Apost. c. 34. ordinat: Preces vestras facite, Diluculo, tertiâ horâ, sextâ, nonâ, vespere, & in gallicantu. Diluculo gratias agentes, quoniam am illuminavit nos Dominus, expulsa nocte & inducto die. Tertiâ: quoniam illâ horâ Dominus sententiam Pilati accepit.

cepit. Sextâ: quoniam tunc Crucifixus est.
 Nonâ: Quoniam omnia commota sunt
 Crucifixo Domino: Vespere. Gratias agen-
 tes, quod dederit nobis diurnorum laborum
 requiem. In Galli Cantu, quoniam illo
 tempore nuntiatur adventus diei ad ex-
 ercenda opera lucis. Antiqui noctu sur-
 rexerunt, & hodie dum multi viri reti-
 giosi, ut, (quemadmodum scribit in Regulis
 fus. disput. S. Basilius) imitentur Dominum
 nostrum, qui saepe in oratione pernoctavit,
 & recogitemus eum noctu natum, & per
 Angelos Pastoribus annuntiatum; Alii
 singulis Passionis Dominicae mysteriis horas
 diversas attribuunt.

Hæc sunt septenis propter quæ psallimus
 horis:

Maturina ligat Christum, qui crimina
 laxat;

Prima replet sputis: causam dat Tertia
 mortis:

Sexta Cruci neclit; latus ejus Nona
 bipertit;

Vespera deponit; tumulto Completa
 reponit.

§. III.

Causæ instituti officii.

Asignat eas S. Bonaventura in opusculo
 de sex aliis Seraphim. c. 8. Prima est
 Ut Ecclesia militans imitaretur morem
 Triumphantis: in qua Isaias vidit Sera-
 phinos, alterum ad alterum clamasse, San-
 ctus, Sanctus, Sanctus. Cum enim Christus
 realiter sit in Sanctissimo Altaris Sacramen-
 to, equum est, ut sint constituti Ministri
 qui ejus presentia assistant, ejusq; laudes de-
 cantent. II. Ut esset perpetua divinorum
 beneficiorum memoria. laus & gratiarum
 actio. Benedicam Dominum in omni tem-
 pore, semper laus ejus in ore meo. Psalmus
 III. Ut orationis exercitium, maxime
 quâ posset frequentia continuaretur,
 quod miseria & necessitates, tam commu-
 nes, quam privatae sint continua. IV.
 plebs, que parum scit, parumque delecta-
 tur hoc exercitio orandi & laudandi
 Deum, ei assuescat, accedens ad Ecclesiam
 constitutis horis. V. Quia id spectat
 Ecclesie Catholice, & Religionis Christi-
 ane decorem: si enim Gentiles conveniebant

in templis ad laudandos & adorandos falsos Deos, multò magis est rationi consensaneum, ut Christiani conveniamus ad laudandum Deum verum. Si etiam Antiqua Legis Fideles, suas quoque in Synagogis congregationes habebant; multò magis iustum est, ut Christiani in Templis conveniant, Deumque laudent. Hec Doctor Seraphicus.

Offerimus autem laudes Deo in die septies, ad obtinenda septem dona spiritus Sancti, adversus septem spiritus nequiores & septem peccata capitalia, & venialia, in qua septies in die cadet iustus, precavenda; & deprecanda per septem hebdomada dies ac per septem orationis Dominicae petitiones, aliosque psalmos & hymnos.

§. IV.

Modus psallendi aut recitandi officium.

Rex David Psalm. 46. quinquies repetendo, Psallite: insinuat rectè psallendi modos: Psallite Deo nostro, psallite; psallite Regi nostro, psallite: quoniam omnis terra Deus, psallite sapienter. Itaq.

I. Psal-

I. Psallite Distinctè quoad vocem, verba
non absorbendo, non truncando, non trahendo,
ponendo, non precipitando, aut nimium
festinando: loquimini enim cum Rege Re-
gum & Domino Dominantium.

II. Psallite Attentè, quoad memoriam
attendendo vel ad verba, vel ad sensum
vel ad Deum. Quomodo enim à Deo audiri
te postulas, qui te ipsum non audis? ait
S. Cyprianus.

III. Psallite Intelligenter quoad inte-
lectum, ut sensum verborum intelligatis
mysteria cognoscatis, & latente in eo spiri-
tu fruamini. Serviet ad hoc Lectio inter-
pretum Psalmorum. Dionysii Carth. Bellar-
mini, Lorini, Tirini, Le Blanc. &c.

IV. Psallite Ardenter quoad volunta-
tem, non repidè & oscitanter, non som-
nolentè, ut monet S. Bernard. serm. 47
Cantica: Moneo vos, inquit, Dilectissimi
simi, purè semper ac strenuè divinis inter-
esse laudibus &c.

V. Psallite Reverenter, quoad totius
corporis compositionem, alternatim stando
& sedendo; non interloquendo sine neces-
sitate, non subridendo, nugando oculis
evagando

evagando, sed Seraphinorum more summa
cum reverentia & tremore Dominum
Deum exercituum laudando. Ad quod
conducent sequentes consideratiuncula.

§. V.

Motiva ad piè psallendum vel
orandum Horas.

Dum ante recitationem, vel cantum
subinde paulisper expectandum est
in choro, animum collige, unumque ex
sequentibus motivis aliquantulum rumi-
na, ut ad ferventiùs psallendum accen-
daris.

Motivum I. Author.

Officii Author est ipse Spiritus San-
ctus, cuius numine afflati Viri sancti
oracula edidère, ex quibus officium con-
flatum est. Hinc illud legens vel cantans,
numinis ipsius verba, vocesque efferre re-
cogita; quibus si mens non respondeat;
sed temerè huc, illuc evagetur, quasi tri-
ta & inutilia mali Poeta carmina re-
citaret; patet, gravem Deo injuriam
inferri.

Moti-

Motivum II. Materia.

Materia officii sunt psalmi, hymni, orationes, lectiones, nucleus & modus sacra Scriptura, ac flores selectissimi Patrum: quae modò altissima SSS. Trinitatis, Incarnationis & passionis mysteria proponunt; modò salutaria vite monita addunt; modò in fidei, spei & charitatis actus erumpunt. Quàm igitur in deum est, tam alta, tam sancta, minori attentione tractare, quàm profana, negotia secularia!

Motivum III. Finis.

Finis, quem Spiritus Sanctus & Ecclesia in officii Divini institutione tendit est Dei gloria, & nostra necessitas atq; utilitas. Cogita igitur Majestatem divinam, tum propter infinitam perfectionem suam, tum propter summam universalitatem suam nunquam sufficienter ulla creatura laudari posse. Glorificum Dominum, quantumcumque potest, pervalebit enim adhuc admirabilis magnificentia ejus. Eccli. 43.

Motivum IV. Necessitas.

Cogita quanta sit multitudo & magnitudo necessitatum communium & privatarum, miseriarum corporis & anime, morborum, heresum, peccatorum, calamitatum, persecutionum, tentationum, periculorum, quibus tota per orbem terrarum Ecclesia militans involvitur & penè obruitur. An non hæc jure fervorem orationis exigunt?

Motivum V. Utilitas.

Expende quot, in pia attentâque officii persolutione, actus fidei, spei, charitatis, religionis, gratitudinis, aliarumque virtutum exerceas; ac proinde quot gradus gratiæ & gloriæ acquiras, quot charismata, dona & auxilia tibi aliisque compares.

Motivum VI. Dignitas.

Considera quanta dignitas sit, populi totius nomine velut legatum mitti ad Divinam Majestatem, de negotiis gravissimis tractaturum, ut de æternâ hominum salute, de liberatione eorum à captivitate Diaboli, de ereptione ex æternis Orci
incen-

incendiis, de obtinendo regno cœlesti, de
eximendis animabus è carcere flamma-
rum purgantium. An non par est talis lega-
tionis munere, summo studio, diligentia
que perfungi?

Motivum VII. Felicitas.

Vide quanta sit felicitas tua, cui prae-
valis, secularibus mundi negotiis im-
plicatis, per gratiam vocationis tuae conce-
ditur & pia voluntas, & prompta facultas
agendi & loquendi cum Divina Majesta-
te, pro te, aliisque deprecandi, angelicisque
Choros imitandi laudando & glorificando
Deum.

Motivum VIII. Jucunditas.

Dispice quanta anime Deum amari
jucunditas sit, in conspectu Angelorum
psallere, & cum júbilo cordis, cum illustra-
tione mentis, cum inflammatione volun-
tatis, letum alleluja toties cantare, Deum
cum solatio & exultatione benedicere
glorificare: Gustate & videte.

Motivum IX. Præsentia Dei.

Recordare te versari in conspectu Na-
minis, corda scrutantis, singula obser-

vantis, omnia judicantis, & pro meritis,
vel remunerantis, vel punientis. Si itaq;
sola Dei presentia & aspectus propter sum-
mam Numinis Divini excellentiam, sum-
mam exigit reverentiam: quanto magis si
vel Majestas illa te alloquatur, vel tu ver-
miculus illam?

Motivum X. Exemplum Beatorum.

Propone tibi sapius fervorem inexplica-
bilem Civium cœlestis Hierosolyma,
Deum sine fine laudantium: Beati qui ha-
bitant in Domo tua, Domine, in secula secu-
lorum laudabunt te. psalm. 83. Hos emulare.

Motivum XI Contrarium
Damnatorum.

Apprehende vivaciter tot millena mil-
lia Damnatorum & Diabolorum die
& nocte non cessare Deum maledicere, blas-
phemare, & execrari; An non equum foret
nos mortales tantam mephitin devotionis
fragrantia, & orationis incensa suffumigare?

Motivum XII. Malitia Peccatorum.

Similiter cordi sume tot millia Ethnico-
rum, Judaeorum, Hæreticorum, aliorum-
que

que Mundi peccatorum, qui eo tempore quo tu psallis, Deum gravissimè offendunt imprecationibus, juramentis, blasphemis aliisque lingua à Gehenna inflammatis sceleribus. An non equissimum foret, ut huiusmodi Numinis offensas & injurias deprecari, & oppositis laudibus ac benedictionibus, per sanctos viribus compensare studeas?

§. VI.

Præstanda ante Officium Divinum aliæque orationes vocales.

I. **A**Nte orationem prepara animam tuam, ne sis quasi homo tentans Deum. Eccli. 18. Unde si peccati cujusdam gravioris conscientia te redarguat, contritionem elice; non enim est spesiosa laus in ore peccatoris: Ne audias illud Psal. 49. Peccatori dixit Deus, quare tu enumeras justitias meas?

II. Excita desiderium quàm ferventissimè laudandi. Benedicite Dominum quoniam tum potestis major enim est omni laus. Eccli. 43. Juvabit, si tempus ferat, confitatio alicujus motivi ex antedictis.

III. Præ-

III. Protestare coram Deo, omnes occurrentes distractiones & evagationes animi, contra voluntatem tuam tibi even-
turas.

IV. S. Angelum Custodem tibi presentem compella; aliosque Cœlites ac creaturas ad Deum tecum glorificandum invita, dicens: Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in idipsum. Psal. 33.

V. Statue te in presentia Dei: quod variis modis fieri potest. 1. Si concipias Deum tanquam Spiritum per omnia diffusum, omnia implentem & intuentem. 2. Si concipiatur tanquam Lux immensa intimè nobis præsens, & cum omnibus thesauris suis in cordis nostri centro & anima fundo residens. 3. Concipi potest velut in cœlesti solio sedens luce infinita circumfusus & innumeris Angelorum Myriadibus quomodo apparuit Danieli, S. Joanni, Isaia & aliis. Proponi potest ob oculos Christus Dominus in humana specie, velut crucifixus, velut iudex in nubibus cœli. Et coram illo te humillimè prosterne, ad eum tanquam presentem, spectantem & audientem totam orationem dirige:

P

Dirige

orolog

Lectio

dirige : ac velut cum maximo Principi tractaturus accede , auxiliūq; ad mōnus orandi dignè obeundum postula.

VI. Forma intentionem , purissimam perfectissimam , & sublimissimam. Atque ex praxibus quatuor subjunctis una elige, aut si varietas te delectet , diversis anni temporibus, modò hanc , modò illam usurpa.

INTENTIO I.

Ante Horas Canonicas.

Ad Matutinum & Laudes.

Offero Tibi humillimè , ô Sacrosanta Trinitas ! hoc officium servitū meæ, velut quadruplex sacrificium, ex pro amore amicitia in te Deum verum vivum , & quidem. I. Velut sacrificium laudis, ad summum honorem & gloriam tuam, ad infinitum gustum & beneplacitum tuum. II. In humillimam & affectuosissimam gratiarum actionem pro omnibus beneficiis, mihi & omnibus creaturis unquam collatis & conferendis per totam æternitatem, III. In satisfactionem

nium peccatorum & negligentiarum meorum, omniumque hominum tam viventium, quam defunctorum. IV. Ad impetrandam gratiam efficacissimam mihi & omnibus mortalibus ut te quam perfectissimè cognoscamus, amemus, colamus & glorificemus ad imitationem Sanctorum & Angelorum.

Oratio ex Breviario.

Aperi Domine os meum, ad benedicens. **A**ccendendum nomen Sanctum tuum: munda quoque cor meum, &c. Domine in unione illius Divinæ intentionis. &c.

Ad Primam. III. VI. IX. Vesperas & Completorium prædictam intentionem breviter renova hoc modo: Offero ô SS. Trinitas Primam ad laudem & gloriam tuæ Divinitatis: in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis: in satisfactionem pro omnibus peccatis: ad perfectissimam impletionem divinæ tuæ voluntatis. Amen. Vel brevissimè. Offero ad intentionem antedictam.

E

IN.

INTENTIO II.

Pro tempore Quadragesimali.

Ad Matutinum. Domine JESU in unione illius orationis, quam in horto angustiatus Patri obtulisti, & tormentorum omnium, quæ Passionis nocte pertulisti, offero tibi hoc matutinae laudis obsequium, ut illud accepto digneris in compensationem tot blasphemiarum.

Ad Primam. Domine JESU, in memoriam sputorum, alaparum, convulsum & illusionum, quas initio diei nobis pertulisti, hoc oris & vocis nocturni obsequium suscipere ne dedigneris, ut æterno gratum sit in unione tui amoris.

Ad Tertiam. Domine JESU, in memoriam acerbissimæ flagellationis, ignominiosissimæ coronæ, te modo servituti meæ, quo te Regem æterni agnosco & profiteor.

Ad Sextam. Domine JESU, in memoriam crucis acerbæ, quam tibi oblati, & in qua te Patri hostiam obtulisti,

hoc laudis sacrificium à nobis suscipere & Patri offerre digneris, ut sit acceptum in oblationis tuæ unione.

Ad Nonam. Domine JESU, in memoriam cordis tui tribus horis in cruce angustiati, & post expirationem lanceâ aperti, offero tibi precis & amoris obsequium, ut cor nostrum jungere digneris cordi tuo, amore inseparabili.

Ad Vesperas. Domine JESU, in memoriam capitis tui languidi, & corporis tui plagis undiq; affecti, è cruce in sinu Matris depositi hoc officium orationis suscipe, & tibi acceptum sit in unione dolorum Matris tuæ.

Ad Completorium. Domine JESU, in memoriam unctionis & sepulturæ tuæ sacræ accipe hoc extremum officium servitutis & orationis nostræ diurnæ, & ut tibi gratum sit, conjunge cum lacrymis, quas tibi tunc obtulerunt devotæ animæ.

INTENTIO III.

Tempore Paschali.

Matutinum offero ad honorem Jesu Christi Redemptoris mei gloriosè

sè à mortuis resurgentis.

Laudes ad honorem Christi Patres & limbo liberantis, ac de mundo, carne & diabolo triumphantis.

Primam ad honorem Christi 40. diebus Discipulos instruentis & loquentis de regno Dei.

Tertiam ad honorem Christi ad cœlo ascendentis.

Sextam, ad honorem Christi Spiritu S. mittentis.

Nonam, ad Dexteram Patris sedentis & in cœlo regnantis.

Vesperas, Advocatum pro nobis apud Patrem agentis.

Completorium, Venturi Judicis.

INTENTIO IV.

Reliquo anni tempore.

Officium totum cedat ad gustum beneplacitum Divinæ Majestatis.

In unionem. Dominicâ. Oratione

& affectuum Christi Domini. Feria SS. Tr

SS. Angelorum. Feria III. SS. rum

triarcharum. Feria IV. SS. Aposto minis

tum. Feria V. Martyrum. Feria ment

Confessorum. Sabbatho. Virginum & Viduarum,

In gratiarum actionem pro beneficio. I. Creationis. II. Redemptionis. III. Vocationis ad fidem. IV. Justificationis. V. Vocationis ad statum. VI. Prædestinationis. VII. Glorificationis.

In Memoriam Mysterii. I. Resurrectionis & Ascensionis Domini. II. Nativitatis III. Vitæ privatæ. IV. Prædicationis. V. Ultimæ Cœnæ. VI. Passionis. VII. Sepulchri.

In detestationem & pœnitentiam peccatorum. I. Superbiæ. II. Avaritiæ. III. Luxuriæ. IV. Invidiæ. V. Gulæ. VI. Iræ. VII. Acediæ.

In Impetrationem. I. Septem virtutum, tum Theologicarum, tum Cardinalium. 2. Septem donorum Spiritûs Sancti, & 3. Septem operum misericordiæ.

In deprecationem. I. Pro cultoribus SS. Trinitatis. II. Pro amatoribus Animarum Purgatorii. III. Pro cultoribus Nominis Jesu. IV. Angelorum. V. SS. Sacramenti. VI. Passionis Domini. VII. B. V.

E 3

&

P

Virgines

orolog
sacerdoti

& S. Iosephi. Vel I. Pro Pontifice. II. Pro
 Episcopis. III. Ecclesiasticis. IV. Religio-
 sis. V. Coniugatis. VI. Viduis. VII. Virgi-
 nibus. Vel I. Pro Regibus & Princi-
 pibus. II. Animabus Purgatorii. III. Ex-
 istentibus in peccato mortali. IV. Infide-
 libus & Hæreticis. V. Pro Parentibus &
 Cognatis. VI. Pro afflictis & inimicis
 VII. Pro Agonizantibus.

§. VII.

Præstanda sub ipso officio.

I. **C**onare devotionem, attentionem, i-
 tentionem actualem vel saltem
 tualem continuare, aut aliquoties renovare,
 presentim sub gloria Patri.

II. Excita subinde fiduciam, quod
 fallibiliter impetraturus sis ea, quæ per
 modo rectè oraveris. Fiducia autem
 innititur potentia divinæ, quæ potest opem
 ferre, Sapientia quæ mille modos invenit
 novit, Bonitati quæ vult succurrere,
 infallibili promissioni & veracitati ad-
 litati divinæ, quæ nequit fallere. Quod
 autem promisit. Matth. 7, Lucæ 11. Petri

Et accipietis, querite, pulsate &c. Quis igitur diffidat, si recte, si cum fervente fiducia, perseverantiâque oraverit?

III. Ad pronuntiationem nonnullorum nominum sapius occurrentium, v.g. Deus, Dominus, alleluja &c. convenientes affectus elice, scilicet adorationis, timoris, amoris, laudis, gratitudinis, reverentia: Ad voces vero: Nos, Homines, vel miseras humanas indicantes, excita affectus humilitatis, contritionis, compassionis. Aut attende ad sensum literalem, aut spiritua-lem, & Davidem in psalmis præcurrentem in affectus, sequere, ut suadet S. Augustinus Conc. 3. in psalm. 30 cum ait: Psalmorum affectus nos exprimere oportet; timere cum timet Propheta, amare cum amat, laudare cum laudat, plorare cum plorat, postulare cum postulat, mentem ad Deum erigere, dum ille se erigit, nosmetipsos deprimere cum ille se deprimat. Hæc observando non erimus ex illis, de quibus scriptum est: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. Matth. 15.

§. VIII.

Præstanda post peractum Officium.

I. **C**ommissos defectus breviter examina, & contritionem elice, atque expia recitatione Psalmi: Laudate Dominum omnes gentes: orationem ex Breviario Sacrosanctæ & indivisæ Trinitati: quam devotè post officium recitantur. Leo X defectus & culpas in eo persolvendo ex humana fragilitate contractas indulget. De bono successu, gratias age.

II. Offer Sanctissima Trinitati peractum officium, cum meritis Christi, B V: & omnium Sanctorum; ac utere orationunculâ, quam, ut repositus Blosius in Monili spirit. c. 3. Christus S. Genesidem docuit.

ORATIO.

Bone Jesu, propitius esto mihi peccator. Bego tepidum, distractum, & imperitum servitium meum commendo meo fluo cordi tuo emendandum & perficiendum, tibiq; ipsum offero ad salutem omnium, in unione illius attentissimæ orationis, quâ tu Patrem orasti & laudasti in terris, Responde, quæso, satisfac, & supple me plenissimè. Amen.

Finio cum dicto Paludani: Officium ob præimpedimenta anticipare, est providentia: de tempore orare officium est obedientia: post debitum tempus orare est negligentia.